

*excommunicacionis, A nobis, II*¹⁷⁶. Unde dixerunt quidam quod dispensacio est amplius licencie impetracio ad infernum intrandum. Non enim prodessent littere tocius mundi, dantes licenciam alicui transeunti per aquam profundam ut non submergatur. Sic nec valent littere eciam pape quia, si non restituatur ablatum, non dimittitur peccatum, ut XIII, q. VI, *Si res*¹⁷⁷, quia quanto rem amplius trac- [G, 111^r] tat, tanto gravius peccat. *Extra, De symonia, Cum in ecclesie*¹⁷⁸. Fur enim semper est in more. *Digesta, De condicione furti in re furtiva*, § primo¹⁷⁹. Et de illo patebit magis infra, ubi tangetur [D, 224^{ra}] materia consuetudinis, et concordat supra, ubi dicebatur de legibus usuras permittentibus¹⁸⁰. Sicut enim per dacionem libelli repudii dispensatum fuit per Moysen et permissum ut iudei dimitterent uxores ob duracionem cordis eorum, nec propter hoc excusantur per Cristum, sed inculpantur magis, ut *Matth.*, XIX^o. Fuit ergo illa permissio signum malicie eorum nolencium amplecti legem dei, scilicet: *quod deus coniunxit, homo non sepat*¹⁸¹. Sic hodie per dispensacionem super pluribus beneficiis habendis et super contractibus huiusmodi celebrandis, quid aliud [F, 134^{va}] nisi testimonium dant, sive litteram testimoniam avaricie eorum exhibent, nolentes in hoc se subici legi dei dicentis: *Nolite possidere aurum neque argentum*¹⁸². Et iterum: *Videte et cavete ab avaricia*¹⁸³. Et iterum: *Nichil inde sperantes*¹⁸⁴. Est ergo iterum dictum, cum dicitur: habeo dispensacionem, id est litteram testimoniam malicie mee, sive anime, sive corporis, sive nature. Quam qui nesciunt nec credere volunt, possum per scripturam probare in dispensacione comprehensam.

^r Homo non sepat] etc. G

^s aurum neque argentum] etc. G

176. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. XXXIX, c. 21 (FRIEDBERG, II, 896): «CLEMENS III: A nobis fuit ex parte tua quaesitum, utrum, si quis ita pronunciaverit: «quisquis furtum fecerit excommunicatus sit» haec generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius. Ad quod *utique* dicimus, quod hac sententia non nisi subditi obligantur, nisi forte plus *ei* contulerit maior et largior auctoritas delegantis».

177. *DG*, pars 2a, causa XIV, q. VI, c. 1 (FRIEDBERG, I, 742). Emprunté à AUGUSTINI *Ep. CLIII, ad Macedonium*, c. VI, n° 20 (*PL* 33, 662): «Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, et non redditur, penitencia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum; si, ut dixi, restitui potest...».

178. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. III, c. 9 (FRIEDBERG, II, 751): «ALEXANDER III: ... non satis, quia cupiditate caecati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligata».

179. *Digestorum* l. XIII, tit. I, lex 1 (*CJCI*, I, 207): «ULPIANUS libro octavo decimo ad Sabinum: In furtiva re soli domino conditio competit».

180. Cf. *supra*, p. 181.

181. *Matth.* 19, 6.

182. *Ibid.* 10, 9.

183. *Lc* 12, 15.

184. *Ibid.* 6, 35.

24. Cum ergo sit intencio legis ut clericus non amplius accipiat quam dedit, ut XIII, q. III, *Nullus*¹⁸⁵, et mens ewangelii est non habere spem retribucionis ultra sortem, ut *Luce*, VI¹⁸⁶, ideo non tam verba quam mens verborum est amplectenda. *De eleccione*, *Si postquam*, lí. VI¹⁸⁷. Et ita punitur qui mentem offendit, sicut qui mentem et verba. *Digesta*, *De iurisdictione omnium iudicum*, lege *Si quis*¹⁸⁸. Ymmo preferitur intencio verbis. *Extra*, *De verborum significacione*, *Intelligencia*¹⁸⁹. *Et certum est quod is comittit in legem, qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*, ut *De regulis iuris*, *Certum*, lí^o V¹⁹⁰.

25. Sunt tamen quidam [G, 111^v] proditores veritatis, semper^u tuiciorem veritatem non defendentes, de quibus XI, q. III, *Nolite*¹⁹¹, *ad excusandas excusaciones in peccatis*¹⁹², dictum contractum palliantes sub nomine dispensacionis a papa obtente, sive sub nomine consuetudinis aut reempcionis. De huiusmodi dicit GREGORIUS, scribens in *Moralibus*, lí^o XVIII, parte quarta, capitulo quarto, et ponitur allegative XLVI. Dicit: *Sunt nonnulli qui dum mala facta hominum laudibus efferunt, augent que increpare debuerant. Hinc enim per prophetam dicitur* [F, 134^{vb}]: «*Ve qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus et faciunt cervicalia sub capite universe etatis*»¹⁹³. *Ad hoc quippe*

¹ V corr. VII

^u semper] propter G

^v etatis] carnis G

185. *DG*, pars 2a, causa XIV, q. IV, c. 6 (FRIEDBERG, I, 737): «*Concilium Nicenum*: Nullus clericorum amplius accipiat quam commodavit; si pecuniam, pecuniam accipiat, si speciem, eamdem speciem quam dedit accipiat, et quicquid aliud tantum, quantum dedit, accipiat».

186. *Lc* 6, 35.

187. *Sexti Decretalium* l. I, tit. VI, c. 33 (FRIEDBERG, II, 964): «*BONIFACIUS VIII*: ... Si vero electus, qui iuxta constitutionem felicis recordationis Nicolai papae tertii praedecessoris nostri ad dictam sedem venerat pro electionis suae negotio prosequendo, de Romana curia sine licentia recesserit, antequam huiusmodi negotium sit finitum: eius electio auctoritate constitutionis ipsius, quae non solum ut quis veniat, sed etiam ex sui mente exigit, quod usque ad finem negotium prosequatur, eo ipso viribus evacuetur omnino...».

188. *Digestorum* l. II, tit. I, lex 7 (*CJCI*, I, 46): «*ULPIANUS libro tertio ad edictum*: Si quis id, quod iurisdictionis perpetuae causa, non quod prout res incidit, in albo vel in charta vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit: datur in eum quingentorum 'aureorum' iudicium, quod populare est...».

189. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. XL, c. 6 (FRIEDBERG, II, 913). Attribué par le *DG* à HILARII *De Trinitate*, l. IV.

190. *Sexti Decretalium* l. V, tit. XII, regula LXXXVIII (FRIEDBERG, II, 1124).

191. Cf. *DG*, pars 2a, causa XI, q. III, c. 22 (FRIEDBERG, I, 650). Attribué par le *DG* à HIERONYMI *In libro Iudicum*: «... qui indigni audiunt verbum Dei, et, cum audierint, neque ut infideles discedunt, neque permanent ut fideles, sed percepta misteriorum notitia, et fidei nostrae secretioribus perscrutatis, conversi postmodum inpuignant nos, et contradictionibus suis corda nostra disrumpunt, conculcantes verbi dominici margaritas, et ornamenta fidei maculantes...».

192. *Ps.* 140, 4.

sub cubito pulvillus vel cervical sub capite iacentis ponitur ut molliter quiescat. Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum sub cubito et cervical sub capite iacentis ponit ut qui corripitur ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc rursus scriptum est: «Ipse edificabat parietem, illi autem lineabant eum»¹⁹⁴. Parietis quippe nomine peccati duricia designatur. Edificare ergo parietem est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perverse agentes edificant, ipsi adulantes quasi nitidum reddant. Hec ibi¹⁹⁵. Ve, ergo, hiis qui dicunt dulce amarum et amarum dulce, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras. Et ve qui dicitis bonum malum et malum bonum¹⁹⁶. Propterea ductus est populus meus captivus, quia non habuit scienciam et nobiles eius interierunt fame et multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino et descenderunt fortes eius et populus eius et sublimes gloriosique eius ad eum¹⁹⁷, scilicet infernum. Hec Ysaie V, et XI, q. III, Si quis¹⁹⁸ et c. Ve qui dicitis¹⁹⁹ et q. XXIII, q. III Quisquis²⁰⁰.

193. *Ezech.* 13, 18.

194. *Ibid.* 13, 10.

195. *DG*, pars 1a, dist. XLVI, c. 2 (FRIEDBERG, I, 168). Emprunté à GREGORII MAGNI *Moralia*, l. XVIII, c. IV, n° 8 (*PL* 76, 41-42).

196. *Is.* 5, 20, *Vulgate*: «Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum».

197. *Ibid.* 5, 13-14.

198. *DG*, pars 2a, causa XI, q. III, c. 58 (FRIEDBERG, I, 659-660). Emprunté à HIERONYMI *Super Epist. ad Philemon*, n° 753 (*PL* 26, 646): «Si quis hominem qui sanctus non est, sanctum esse crediderit, et Dei eum iunxerit societati, Christum violat, cuius membra sumus». Et *infra*, § 1: «Omnes credentes secundum Apostolum, Christi corpus efficitur. Qui in corpore Christi errat et labitur, asserens membrum eius sanctum esse, cum non sit, vel non esse sanctum cum sit, vide quali crimine obnoxius fiat. Ysaïas ait: 'Vae his qui dicunt dulce amarum et amarum dulce, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras'. Dulce puto esse sanctimoniam; amarum quod sanctimoniae contrarium est».

199. *Ibid.*, c. 59 (FRIEDBERG, I, 660). Emprunté à *Isaïe* 5, 20 et 13-16: «Vae, qui dicitis bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras». § 1: «Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scienciam et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino et descenderunt fortes eius et populus eius, et sublimes gloriosique eius ad eum, et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur, et exaltabitur Dominus in iudicio, et Deus sanctus sanctificabitur iusticia».

200. *DG*, pars 2a, causa XXIII, q. IV, c. 5 (FRIEDBERG, I, 900). Emprunté à AUGUSTINI *Contra epistolam Parmeniani*, l. II, c. I, n° 3 (*PL* 43, 51): «Quisquis vel quod potest arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest salvo pacis vinculo excludit, vel quod salvo pacis vinculo excludere non potest equitate inprobat, firmitate supportat, hic est pacificus, et ab isto maledicto, quo scriptura dicit: 'Vae his, qui dicunt quod nequam est bonum et quod bonum est nequam', omnino liber, prorsus securus, penitus est alienus...».

26. Insuper scire et formidare debent predicti sutores et linitores [G, 112'] absque palea et temperamento [F, 135'] legis dei, semper discentes et nunquam ad agnitionem veritatis pervenientes, illud quod dictum est in c. unico *De usuris*, in *Clementinis*: *Si quis in illum errorem inciderit et pertinaciter [D, 224^{rb}] affirmare presumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velud hereticum puniendum*²⁰¹. Ubi dicit glosa quod *non solum est hereticus male sciens de articulis fidei vel sacramentis ecclesie*²⁰², ut *Extra, De hereticis, Ad abolendam, in principio*²⁰³, *sed etiam qui perversum fingit dogma, vel novas opiniones gignit aut sequitur*, ut XXIII, q. III, *Inter*²⁰⁴ et c. *Heresim*²⁰⁵ et c. *Hereticus*²⁰⁶. Istud autem est contra doctrinam ecclesie. *Extra, De usuris*, c. III^o et c. *Cum tu*, in fine²⁰⁷. Debet ergo haberi suspectus de

201. *Clementinarum* l. V, tit. V, c. unic. (FRIEDBERG, II, 1184).

202. *Clementinae* ..., f^o LXII^{rb}.

203. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. VII, c. 9 (FRIEDBERG, II, 780): «LUCIUS, PAPA: ... et Universos, qui de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptisate, seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana ecclesia praedicat et observat, et generaliter, quoscumque eadem Romana ecclesia vel singuli episcopi per dioeceses suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi sede vacante cum consilio, si oportuerit, vicinorum episcoporum haereticos iudicaverint, pari vinculo perpetui anathematis innodamus».

204. *DG*, pars 2a, causa XXIV, q. III, c. 26 (FRIEDBERG, I, 997). Emprunté à HIERONYMI *Comm. in ep. ad Titum*, c. III (*PL* 26, 633): «Inter heresim et scisma hoc esse arbitror, quod heresis perversum dogma habeat, scisma post episcopalem discessionem ab ecclesia pariter separat ...».

205. *Ibid.*, c. 27 (FRIEDBERG, I, 997-998). Emprunté à HIERONYMI *Comm. in Ep. ad Galatas*, l. III, c. V (*PL* 26, 445, n^o 508): «Haeresis grece ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicumque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hereticus appellari potest, et de carnis operibus est, eligens que peiora sunt».

206. *Ibid.*, c. 28 (FRIEDBERG, I, 998). Emprunté à AUGUSTINI *De utilitate credendi*, l. un., c. 1, n^o 1 (*PL* 42, 66): «Hereticus est, qui alicuius temporalis commodi et maxime gloriae principatusque sui gratia falsas ac novas oppiniones vel gignit vel sequitur. Ille autem, qui huiusmodi hominibus credit, est imaginatione quadam veritatis illusus».

207. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. XIX, c. 3 (FRIEDBERG, II, 812): «In concilio Lateranensi sub ALEXANDRO III: Quia in omnibus fere locis ita crimen usurarum invaluit, et multi, aliis negotiis praetermissis, quasi licite usuras exercent, et qualiter utriusque testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant: ideo constituimus quod usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam, sed nec obligationes eorum quisquam accipiat. Qui autem acceperit, vel Christianae tradiderit sepulture, et ea quae acceperit, reddere compellatur et, donec ad arbitrium episcopi sui satisfaciat, ab officii sui maneat executione suspensus»; *ibid.*, c. 5 (FRIEDBERG, II, 812-813): «ALEXANDER III: ... Super his fraternitati tuae taliter respondemus, quod sive ante sive post interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt per poenam, quam statuimus in concilio, eas his a quibus extorserunt, vel eorum heredibus restituere, vel, his non superstitibus, pauperibus erogare; dummodo in facultatibus

223 h^o 24

81

Mp
H
e
c
e
c
c
f
u

heresi, qui fingit contractum usurarium, contractum reempcionis, cum nulla est ibi empcio, ut infra patebit. Et, per consequens, nec reempcio dici potest, cum reempcio presupponit empcionem, utque ex quid nominis. Similiter qui sequuntur hos fictores et sutores, componentes cum symoniaca heresi predictam heresim, suspecti debent haberi de iure et timendum quod mortaliter peccant. Cui consonat quod dixit AUGUSTINUS, super *primam epistolam ad Cor.*²⁰⁸ quod errare in rebus est peccatum mortale, scilicet cum putat quis esse bonum quod est malum, vel e converso, nam quilibet adultus tenetur scire hoc esse malum, illud bonum. Habentur hec XI, q. III, *Si quis dixerit* et ibi in glosa²⁰⁹ *Qui enim ignorat ignorabitur.* Ia ad *Cor.*, XIII²¹⁰, et XXXVII di., *Ideo*²¹¹.

27. Ignorancia enim iuris naturalis neminem excusat, si est adultus et discretus, quia in vicio *non multum distat vel decipere posse vel decipi*, ut XVI, q. I, *Si cupis*²¹². Ius autem naturale est quod in ewangelio, lege et prophetis consistit, quod immobile perseverat, quantum ad precepta, vel [G, 112^v] prohibiciones que moralia sunt, ut VI di., c. *Is^w ita*²¹³. Et ideo nulla consuetudo valet contra ius naturale, eciam *si omnes homines de mundo facerent*, ut XXXII, q. VII, *Flagicia*²¹⁴. Racione enim multitudinis vel consuetudinis non

^w *Is corr.* Hiis

habeant unde ipsi possint eas restituere, quum iuxta verbum B. Augustini, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum ...».

208. *Non inveni.* : *recte Gordon*

209. *DG*, pars 2a, causa XI, q. III, c. 57 (FRIEDBERG, I, 659). Emprunté à HIERONYMI *Commentarium in epistolam ad Philemonem* (PL 26, 409-410): «Si quis dixerit iustum iniustum et iniustum iustum, abhominabilis est uterque apud Deum. Similiter qui sanctum dicit non sanctum, et rursus non sanctum asserit sanctum abhominabilis apud Deum est»; *DG cum glosis*, col. 942.

210. *I Cor.* 14, 38.

211. *DG*, pars 1a, dist. XXXVII, c. 15 (FRIEDBERG, I, 140). Emprunté à ISIDORI *Sententiarum* l. III, c. 13 (PL 83, 685): «Ideo prohibetur Christianus legere figmenta poetarum, quia per oblectamenta fabularum nimium mentem excitant ad incentiva libidinum. Non enim solum thura offerendo demonibus immolant, sed eciam eorum dicta libentius capiendo».

212. *DG*, pars 2a, causa XVI, q. I, c. 5 (FRIEDBERG, I, 762).

213. *DG*, pars 1a, dist. VI, c. 3 (FRIEDBERG, I, 11): «GRATIANUS: In lege et ewangelio naturale ius continetur; non tamen quecumque in lege et ewangelio inveniuntur, naturali iuri coherere probantur. Sunt enim in lege quedam moralia, ut: *non occides* et cetera, quedam mistica, utpote sacrificiorum precepta, et alia his similia. Moralia mandata ad naturale ius spectant atque ideo nullam mutabilitatem recepisse monstrantur ...».

214. *Ibid.*, pars 2a, causa XXIII, q. VII, c. 13 (FRIEDBERG, I, 1143). Emprunté à AUGUSTINI *Confessiones*, l. III, c. VIII, n° 15 (PL 32, 689): «Flagicia que sunt contra naturam, ubique ac semper repudianda atque punienda sunt; qualia Sodomitarum fuerunt. Que si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur, que non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, que cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ipse auctor est, libidinis perversitate polluitur».

excusatur quis a culpa. E q. III, *Obiciuntur*^x 215. Unde dicit AUGUSTINUS, II, q. Ia, *Multi: Non ergo illi, quos monemus agere penitentiam, querant sibi comites ad supplicium, nec gaudeant quia plures inveniantur sibi similes, nam non propterea minus ardebunt qui cum multis ardebunt* 216. Unde dicitur *Extra, De excessibus prelatorum, Inter dilectos*, quod pretextu multitudinis vel prave consuetudinis non excusatur quis a peccato 217. Excessus enim unius non dat alteri licentiam excedendi, ut *Extra, De privilegiis, Petistis* 218, *quia multitudo numerosa^y nichil habet honesti*. In *Authenticis, De referend.*, ad finem, coll. II 219. Et quia, ut dictum est supra, post THOMAM, secundum divinam legem illicitum reputatur si non sit equalitas iusticie in empicione et vendicione 220, dicendum ergo quod predictus contractus non potest dici reempcionis quia ipsum nulla empicio precessit, ratione cuius reempcio diceretur.

28. Sed, secundum GOFFREDUM, colore quesito in fraudem iuris canonici, quod usuras reprobatur et repeticioni [F, 135^y] favet, fingitur contractus reempcionis, ut supra dictum est 221. Et quod empicio non precessit, probatur primo ex tradicionem rei, quia licet in locacione non amittit dominus directum dominium, per tradicionem tamen in vendicione amittit suum dominium ut *Digesta, Locati*, lege II 222. Sic autem non fit in predicto contractu, quia post sicut ante, res, ratione cuius pecunia mutuatur, nominatur a recipiente et non a mutuante et sic non amittitur directum dominium in recipiente. Ideo non potest dici quoad hoc venditor nec mutuans pecuniam emptor, cum non efficitur per hoc directus dominus rei. Secundo probatur ex natura vendicionis

^x *Obiciuntur corr. Obiciunt*

^y *numerosa corr. onerosa*

215. *DG*, pars 2a, causa XXXII, q. IV, c. 7 (FRIEDBERG, I, 1129): «*Obiciuntur Iacob quatuor uxores, quod quando mos erat, crimen non erat. Sicut Patriarchae coniugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentia perficiendae voluptatis sed providentia progagandae successionis; sic Apostoli admirantibus auditoribus doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendae laudis sed karitate seminandae veritatis*». Cf. AUGUSTINI *Contra Faustum*, l. XXII, c. 47 et 48 (*PL* 42, 428-430).

216. *DG*, pars 2a, causa III, q. I, c. 18 (FRIEDBERG, I, 447). Emprunté à AUGUSTINI *Sermo CCCL*, c. 4, n° 11 (*PL* 39, 1547).

217. *Decr. Greg. IX*, l. V, tit. XXXI, c. 11 (FRIEDBERG, II, 839): «*INNOCENTIUS III: ... Unde, licet ad palliandum tantae praesumptionis excessum, proposuerit idem Petrus quod hoc fuerat iuxta consuetudinem Gallicarum clericorum ... nos tamen ... excusationem praedictam ... frivolam reputantes ... duximus irritandum*».

218. *Ibid.*, tit. XXXIII, c. 20 (FRIEDBERG, II, 865): «*INNOCENTIUS III: ... Ad quod sic duximus respondendum, quod illorum excessus vobis non praebet licentiam excedendi ...*».

219. JUSTINIANI *Novellae*, collatio II, tit. V, novella X, Praefatio (*CJCI*, III, 93).

220. Cf. *supra*, p. 185-186 et p. 192.

221. Cf. *supra*, n. 6.

222. *Digestorum* l. XIX, tit. II, lex 5 (*CJCI*, I, 284). Voir le texte à la n. 41.